

nus est quam bonum speciale; & ideo super potestatem regitivam quæ coniectat bonum speciale, oportet esse potestatem regitivam universalem respectu boni communis; alias non posset esse colligatio ad unum: & ideo cum tota Ecclesia sit unum corpus, oportet, si ista unitas debet conservari, quod, sicut aliqua potestas regitiva respectu totius Ecclesie supra potestatem episcopalem, quæ unaquæque specialis Ecclesie regitur; & hæc est potestas Papæ: & ideo qui hanc potestatem negant, schismatici dicuntur, quasi divisores ecclesiasticæ unitatis. Et inter Episcopum simplicem & Papam sunt alii gradus dignitatum correspondentes gradibus unionis, secundum quos una congregatio, vel communitas includit aliam; sicut communitas unius provincie includit communitatem civitatis, & communitas regni communitatem unius provincie, & communitas totius mundi communitatem unius regni.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis omnibus Apostolis data sit communiter potestas ligandi, & solvendi; tamen ut in hac potestate ordo aliquis significaretur, primo soli Petro data est, ut ostendatur quod ab eo in alios debeat ista potestas descendere, propter quod etiam ei dixit singulariter, Luc. xxii. 32. *Confirma fratres tuos: & Joan. xxi. 17. Pasce oves meas, id est loco mei, ubi Chrysostomus (a) dicit Præpositus, & caput esto fratrum; ut ipsi te in loco meo assumant, ubique terrarum te in throno tuo sedentem prædicent, & confirment.*

Ad secundum dicendum, quod ritus Judæorum non erat diffusus in diversis regnis, & provinciis, sed tantum in una gente: & ideo non oportebat quod sub eo, qui habebat potestatem principalem alii pontifices distinguerentur. Sed Ecclesie ritus, sicut & Gentilium, per diversas nationes diffunditur: & ideo oportet quod quantum ad hoc magis Gentilium ritui quam Judæorum, status Ecclesie conformetur.

Ad tertium dicendum, quod potestas (4) Episcopi excedit à potestate Papæ quasi à potestate ejusdem generis: & ideo omnem actum hierarchicum quem potest facere Papa in ministracione sacramentorum, potest facere Episcopus; non autem omnem actum quem potest facere Episcopus, potest facere sacerdos in sacramentorum collatione: & ideo quantum ad ea quæ sunt episcopalis ordinis, omnes Episcopi sunt æquales, & propter hoc quilibet alium potest consecrare.

ARTICULUS III.

Utrum vestes ministrorum convenienter in Ecclesia instituta sint.

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod vestes ministrorum non convenienter in Ecclesia institutæ sint. Ministri enim novi testamenti magis tenentur ad castitatem quam ministri veteris. Sed inter alias vestes ministrorum veteris testamenti erant feminalia in signum castitatis. Ergo multo fortius nunc esse debent inter vestes ministrorum.

2. Præterea. Sacerdotium novi testamenti est dignius quam veteris sacerdotium. Sed veteres sacerdotes habebant mitras, quod est signum dignitatis. Ergo sacerdotes novæ legis eas debent habere.

(4) Al. sacerdotis. (5) Al. ultimus.

Ex Edit. P. NICOL. (a) In Chrysostomo non occurrit; nisi quod hom. iiii. in Acta Apost. dicit: *Merito Petrus auctoritatem primus usurpat, ut qui omnes habeat in manu: ad hunc enim dicitur: Confirma fratres tuos.* Et hom. lxxxviii. in Joan. *Princeps Apostolorum erat Petrus, & cætus vertex. Hinc fratrum curam ei committit, &c.*

3. Præterea. Sacerdos est propinquior ordinibus ministrorum quam ordo episcopalis. Sed Episcopi utuntur vestibus ministrorum, scilicet dalmatica, quæ est vestis diaconi, & tunica, quæ est vestis subdiaconi. Ergo multo fortius simplices sacerdotes debent uti eis.

4. Præterea. In veteri lege pontifex deferebat superhumeralia, quod significabat ordo Evangelii, ut dicit Beda. Hoc autem maxime nostris Pontificibus incumbit. Ergo debent habere superhumeralia.

5. Præterea. In rationali quo utebantur pontifices veteris legis, scribebatur: *Doctrina, & veritas.* Sed veritas maxime in nova lege declarata est. Ergo Pontificibus novæ legis competit.

6. Præterea. Lamina aurea, in qua scriptum erat nomen Dei, erat dignissimum ornamentum veteris legis. Ergo illud maxime debuit transferri in novam legem.

7. Præterea. Ea quæ exterius geruntur in ministris Ecclesie, sunt signa interioris potestatis. Sed Archiepiscopus non habet altius generis potestatem quam Episcopus, ut dictum est. Ergo non debet habere pallium, quod non habent Episcopi.

8. Præterea. Potestatis plenitudo residet penes Romanum Pontificem. Sed ipse non habet baculum. Ergo nec alii Episcopi debent habere.

SOLUTIO

Respondeo dicendum, quod vestes ministrorum, ut supra dictum est, designant idoneitatem quæ in eis requiritur ad tractandum divina. Et quia quædam sunt quæ in omnibus requiruntur, & quædam quæ in superioribus: ideo quædam vestes sunt omnibus ministris communes, quædam autem superiorum tantum: & ideo omnibus ministris competit amictus, humeros regens, quo significatur fortitudo ad divina officia exequenda, quibus mancipantur. Et similiter alba, quæ significat puritatem vitæ, & cingulum, quod significat repressionem carnis. Sed subdiaconus (5) ulterius habet manipulum in sinistra, quo significatur extensio minimarum macularum, quia manipulus est quasi sudarium ad extergendum vultum: ipsi enim primo ad sacra tractanda admittuntur. Habent etiam tunicam strictam, per quam doctrina Christi significatur: unde & in veteri lege in ipsa tintinnabula pendeabant. Subdiaconi enim primo admittuntur ad doctrinam novæ legis annuntiandam. Sed diaconus habet amplius stolam in sinistro humero, in signum quod applicatur ad ministerium in ipsis sacramentis; & dalmaticam, quæ est vestis larga, sic dicta, quia in Dalmatiæ partibus primo usus ejus fuit, ad significandum quod ipse primo dispensator sacramentorum ponitur: ipse enim sanguinem dispensat; in dispensatione autem largitas requiritur. Sed sacerdoti stola in utroque humero ponitur, ut ostendatur quod plena potestas dispensandi sacramenta ei datur, non ut ministro alterius; & ideo stola descendit usque ad inferiora: habet etiam & catinulam, quæ significat charitatem, quia sacramentum consecrat charitatis, scilicet eucharistiam. Sed Episcopi addunt novem ornamenta supra sacerdotes, quæ sunt caligæ, sandalia, succinatorium, tunica, dalmatica, mitra, chiroteca, anulus, & baculus; quia novem sunt quæ supra sacerdotem possunt, scilicet clericos ordinare, virgines benedicere, Basilicas dedicare, clericos deponere, Synodos celebrare, chrisma conficere, (1) confirmare, vestes, & vasa consecrare. Vel per caligæ significatur rectitudo gressuum: per sandalia, quæ pedes regunt, contemptus terrenorum: per succinatorium, quo stola ligatur cum alba, amor honestatis: per tunicam perseverantia, quia Joseph tunicam talem habuisse legitur quasi descendentem usque ad talos, per quos significatur extremitas vitæ: per dalmaticam largitas in operibus misericordie: per chirothecas cautela in opere, per mirram scientia utriusque testamenti, unde & duo cornua habet: per baculum cura pastoralis, qua debet colligere vagos, quod significat curvitas in capite baculi; sustentare infirmos, quod significat ipse stipes baculi; sed pungere lentos, quod significat stimulus in pede baculi: unde versus:

Collige, sustenta, stimula, vaga, morbida, lenta.
Per anulum sacramenta fidei qua Ecclesia desponsatur Christo: ipsi enim sunt Ecclesie sponsi loco Christi. Sed ulterius Archiepiscopi habent pallium in signum privilegiatæ potestatis: significat enim torquem auream quam solebant legitime certantes accipere.

Ad primum ergo dicendum, quod sacerdotibus veteris legis indicebatur continentia illo tantum tempore quo ad suum ministerium accedebant, & ideo in signum castitatis tunc servandæ in sacrificiorum oblatione feminalibus utebantur; sed ministris novi testamenti indicitur perpetua continentia: & ideo non est simile.

Ad secundum dicendum, quod mitra illa non erat signum alicujus dignitatis: fuit enim sicut quoddam galerum, ut Hieronymus dicit, epist. ad Fabiolam, sed cydaris, quæ erat signum dignitatis, solis pontificibus dabatur, sicut & nunc mitra.

Ad tertium dicendum quod potestas ministrorum est in Episcopo sicut in origine; non autem in sacerdote, quia ipse non confert illos ordines: & ideo magis Episcopus quam sacerdos vestibus ministrorum utitur.

Ad quartum dicendum, quod loco superhumeralis utitur stola, quæ ad idem significandum est ad quod erat superhumeralia.

Ad quintum dicendum, quod pallium succedit loco rationalis.

Ad sextum dicendum, quod pro illa lamina habet Pontifex crucem, ut Innocentius, Lib. I. mysterio-

DISTINCTIO XXV.

De ordinatis ab hæreticis.

Soleat etiam queri, si hæretici ab Ecclesia præcisi, & damnati possint tradere sacros ordines; & si ab eis ordinati redeunt ad Ecclesie unitatem debeant reordinari. Hanc questionem perplexam, ac pene insolubilem faciunt doctorum verba, qui plurimum dissentire videntur. Videntur enim quidam tradere, hæreticos sacros ordines dare non posse, nec illos qui ab eis ordinantur, videntur gratiam recipere. Dicit enim Innocentius, (a) Arianorum clericos non videri suscipiendos cum sacerdotii, vel ministerii alicujus dignitate, quibus solum baptisma ratum esse permittit, quod in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti percipitur. Dicit etiam, eos non posse dare Spiritum Sanctum, quem amiserunt, & ordinatos ab hæreticis caput habere vulneratum, & eum qui honorem amisit, honorem dare non posse, nec illum aliquid accepisse: *In IV. Sent. Tom. V.*

(1) Al. deest confirmare. (2) Al. hoc bonum.

Ex Edit. P. NICOLAI. (a) Nempe Innocentius I. in epist. xviii. ad Alexandrum scripta cap. iiii. & refertur in decretis causa i. q. i. cap. Arianos.

rum Missæ cap. liiii. dicit, sicut pro feminalibus habet sandalia, pro linea albam, pro balthæo cingulum, pro podere tunicam, pro ephod amictum, pro rationali pallium, pro cydari mitram.

Ad septimum dicendum, quod quamvis non habeat alterius generis potestatem, tamen eandem habet ampliorem; & ideo ad hanc perfectionem designandam sibi pallium datur, quo undique circumdatur.

Ad octavum dicendum, quod Romanus Pontifex non utitur baculo, quia Petrus misit ipsum ad suscitandum quemdam discipulum suum, qui postea factus est Episcopus Trevirensis; & ideo in diocesi Trevirensi Papa baculum portat, & non in aliis: vel etiam in signum quod non habet coarctatam potestatem, quod curvatio baculi significat.

EXPOSITIO TEXTUS.

Nunc ad considerationem sacre ordinationis accedamus. Videtur quod male ordinetur: quia hoc sacramentum est ad dispensandum alia sacramenta, & ita ante alia deberet ordinari. Et dicendum, quod Magister ordinat secundum hoc ad quod ordinatur: & quia (2) bonum commune, ad quod ordinatur hoc sacramentum, præsupponit bonum persone, ad quod ordinatur præcedentia; ideo de hoc non debuit prius determinare.

In sacramento ergo septiformis Spiritus septem sunt gradus ecclesiastici. Adaptatio quædam est: quia in quolibet ordine omnia dona Spiritus Sancti dantur: quia Mathias electus est sorte, de quo Dionysius dicit v. cap. eccles. Hierar. *De divina sorte Mathias, data alii alia dixerunt, nec recte, ut existimo. Meum & ipse sensum dicam. Videtur enim mihi, Scriptura sortem nominasse divinum quoddam donum declarans Mathiam quasi divinam electione ostensum.*

Habiturus partem... cum his qui bene verbum Dei ministraverunt. Ergo habet omnis lector aureolam. Et dicendum, quod verum est, si impleat officium ut non solum legat, sed etiam interpretetur per prædicationem; quod tamen non videtur suum officium: & ideo etiam non dicit simpliciter, quod habeat illorum meritum, sed cum illis, in quantum aliquid de actu eorum participat.

Canones duos tantum sacros ordines appellari censent: propter hoc quod hi duo tantum ordines habent actum super ipsum sacramentum, sed subdiaconum super sacra vasa tantum.

quoniam in dante nihil erat quod ille posset accipere. Tradit etiam, venientibus ab hæreticis per manus impositionem laicam tantum tribuendam communionem, nec ex his aliquem in clericatus honorem vel exitum subrogare. Gregorius etiam dicit, Lib. III. Dialog. cap. xxxi. & refertur in Decretis causa 1. q. 1. c. „Superveniente“ sacrilegam esse Arianorum consecrationem, cum ex eorum manu communio percipitur. Cyprianus etiam dicit, ut refertur cap. „Si quis“ omnia quæcumque faciunt hæretici, carnalia, & inania, & sacrilega esse; & eorum altaria falsa, & illicita sacerdotia, & sacrificia sacrilega, qui more simiarum, quæ cum homines non sint, formam imitantur humanam, vultum Ecclesiæ catholicæ, & auctoritatem sibi vendicant, cum ipsi in Ecclesia non sint; & cum sint sacrilegi, sacerdotum administrant, & altare ponunt cum nec sacrificari oblatio illic possit, ubi Spiritus Sanctus non sit, nec cuiquam Dominus per ejus preces, & orationes prosit qui Dominum ipsum violavit. Hieronymus quoque asserit, in cap. 11. Aggæi, & refertur in Decret. ubi sup. cap. „Si populus,“ omnia quæ offeruntur ab hæreticis contaminata esse in conspectu Domini: quia licet sancta videantur specie sui, tamen quia contacta sunt ab illo qui pollutus est, polluuntur omnia. Idem, super Amos c. v. & habetur ubi sup. c. *Odor*: „Odor Deus sacrificia hæreticorum, & à se proijcit; & quoties in nomine ejus congregati fuerint, detestatur fetorem eorum, & claudit nares suas.“ Idem, in Osee vi. & refertur cap. „Illi,“ „Illi offerunt panem sacrilegum &c.“ Leo (b) etiam testatur extra Ecclesiam nec rata esse sacerdotia, nec vera esse sacrificia. Idem etiam dicit: „Per crudelissimam veneniam in Alexandrina sede omne sacramentorum lumen extinctum (1) est. Intercepta est sacrificii oblatio, defecit chrisimatis sanctificatio, & parricidalibus manibus impiorum omnia se subtraxere mysteria.“ His, aliisque testimoniis adstrui videtur sacramenta ecclesiastica, præcipue corporis & sanguinis, ordinationis, & confirmationis, per hæreticos non posse ministrari.

Auctoritates ponit quæ videntur præmissis obviare.

Contra autem alii sentire videntur, quod ab hæreticis etiam præcis sacri ordines, sicut & baptismus tradi valeant; nec ab hæreticis redeunt, qui illic ordinati sunt, & baptizati, iterum ordinandi sint, sicut nec baptizandi. Unde Augustinus, Lib. II. contra epistolam Parmeniani cap. xlii. & habetur in Decr. cap. 1. q. 1. cap. „Quod quidam,“ de hæreticis (2) etiam condemnatis dicit: „Quod quidam dicunt: Baptisma quod accepit, non amittit qui recedit ab Ecclesia; jus dandi quod accepit, amittit: multis modis apparet inaniter dici. Primo quia nulla ostenditur causa cur ille qui illud baptismum amittere non potest, jus dandi possit amittere: utrumque enim sacramentum est, & quadam consecratione utrumque homini datur; illud cum baptizatur, & illud cum ordinatur: ideo non licet in catholica Ecclesia utrumque iterari. Nam si quando ex ipsa parte venientes etiam præpositi pro bono pacis, correcto schismatis errore, suscepti sunt, etsi visum est opus esse ut eadem officia gererent quæ agebant, non sunt rursus (3) ordinandi. Sed sicut baptismus in eis, ita in eis mansit ordinatio integra: quia in præcisione fuerat vitium, quod in unitate pacis est correctum, non in sacramentis, quæ ubicumque sunt, ibi vera sunt. Et cum ipsi expedire videtur Ecclesiæ ut præpositi eorum venientes ad catholicam societatem, honores suos ibi non admittant; non eis tamen ipsa ordinationis sacramenta detrahuntur, sed super eos manent. Ideoque non eis (4) manus imponitur; ne non homini, sed ipsi sacramento fiat injuria. Sicut autem in baptismo est jus quod per eos dari possit, sic in ordinatione jus dandi est, utrumque quidem ad perniciem suam. (5) Sed aliud est non habere, aliud perniciose habere, aliud salubriter habere.“ Idem (ibidem inferius). „De his qui ab Ecclesiæ unitate separati sunt, nulla jam quæstio est, quin habeant, & dare possint. Sed perniciose habent, pernicioseque dant, quia extra vinculum pacis sunt. Neutri sacramento facienda est injuria. Sicut non recte habet qui ab unitate recedit, sed tamen habet, & ideo redeunt non reddunt; sic etiam non recte dar qui ab unitate recedit, & tamen dar: & ideo (6) quod ab eo accepit, venienti ad unitatem non iteratur.“ Idem (c), ubi supra. „Aliud est non habere aliquid; aliud est non jure habere, vel illicite usurpare. Non ergo ideo non sunt sacramenta Christi, & Ecclesiæ, quia eis illicite utantur non modo hæretici, sed etiam omnes impii. Sed illi corrigendi sunt, & puniendi; illa autem sunt agnoscenda, & veneranda.“ Item Gregorius, Lib. II. epist. xxxi. „Quod dicitis, ut qui ordinatus est, iterum ordinetur, valde ridiculum est. Ut enim baptizatus semel, iterum baptizari non debet; ita qui consecratus est semel, in eodem ordine non valet iterum consecrari.“ His, aliisque auctoritatibus videtur asseri, in omnibus impiis, etiam in hæreticis præcis, & damnatis, Christi sacramenta permanere cum jure dandi. Possunt enim dare, sed perniciose; & quibus dederint, non sunt iterum ordinandi: quæ præmissis ex opposito obviare videntur.

Determinatio præmissæ contradictionis auctoritatum.

Hæc autem quidam ita determinant. Dicunt enim hæreticos, accepta sacerdotali, vel episcopali unctio- ne, ab Ecclesia recedentes; baptismi quidem dandi jus retinere; sed non habere facultatem tribuendi sacros ordines, vel consecrandi dominicum corpus postquam præcisi, & damnati sunt ab Ecclesia: sicut degradatus Episcopus non habet potestatem largiendi sacros ordines; facultatem tamen baptizandi non amisit. Quod vero Augustinus ait, intelligunt dictum de hæreticis, qui non sententia Ecclesiæ, sed pravitate sensus sui à fidei veritate, ac doctrinæ unitate divisi sunt. Qui licet tales sint, jus tamen ordinandi, & consecrandi habent; & qui ab eis ordinantur ante manifestam præcisionem, etiamsi cum eis aperte exierint, & sententia Ecclesiæ damnati fuerint, tamen si redierint, iterum ordinandi non sunt. Et ubicumque legitur

(1) *Al. omittitur est.* (2) *Al. etiam damnatis quod quidam dicunt &c.* (3) *Fortè ordinati.* (4) *Nicolai ad- dit in populo.* (5) *Idem, quamdiu charitatem non habent unitatis.* (6) *Al. qui ab eo accipit.*

Ex Edit. P. Nicol. (b) Quod subjungitur ex Leone, partim ex epist. xlviii. cap. 11. partim ex epist. lxxiii. desumptum est, ut cap. *In Ecclesia Dei*, & cap. seq. *Manifestum*. (c) De baptismo contra Donatistas Lib. III. cap. x.

de ordinatis ab hæreticis, quod servatis eis ordinibus ministrare valeant, vel iterum ordinandi non sint, de hujusmodi accipiendum dicunt. Nam postquam præcisi fuerint, & damnati judicio Ecclesiæ, jus ordinandi, & consecrandi eis detractum asserunt, ut degradatis, vel excommunicatis. Alii vero dicunt, sacramenta ab hæreticis, & præcis secundum formam Ecclesiæ celebrata, vera esse, & rata: quia recedentes ab Ecclesia jus dandi, & consecrandi non perdidit: & qui sic ab hæreticis ordinantur, cum redeunt, iterum ordinandi non sunt. Quæ vero ab hæreticis aliter quam in Ecclesia fiunt, falsa sunt, & inania; & qui à talibus ordinari videntur, non munus, sed vulnus accipiunt. Et secundum hanc differentiam varie de his loquuntur doctores. Quidam vero dicunt, eadem sacramenta ab hæreticis præcis posse celebrari quæ à catholicis, si ab illis forma Ecclesiæ serveretur, & ab eis celebrata vera esse, & rata quantum ad se, quantum vero ad effectum, falsa esse, & inania & in his qui male tractant, & in his qui male suscipiunt; & ideo irrita, & falsa: quia quod promittunt, & conferre credunt, non tribuunt. Damnanda etiam dicuntur, quia illicite dantibus, vel accipientibus sunt in iudicium. Polluta etiam dicuntur non quantum ad se, sed propter indignam hæreticorum tractationem. Ideo Gregorius, Lib. III. Dialog. cap. xxxi. communionem Anii vocat executionem: & Innocentius (7) Bonosii ordinationem damnationem: non quod ita in se sint, sed quia male dantes, vel accipientes tales faciunt. Sicut etiam Hieronymus sacrificia eorum panem luctus vocat, super Osee cap. ix. non quantum ad se, sed quantum ad effectum. Nonnulli vero tradunt, illos hæreticos qui in Ecclesia ordinati sunt, jus ordinandi, & consecrandi, etiam cum separati fuerint, habere. Qui vero in schismate, vel hæresi positi ab eis ordinati, & inuncti fuerint, illo jure carent: ideoque cum ordinate volunt, vulnus potius infigunt quam gratiam conferunt.

De simonia, unde dicatur, & quid sit.

De simoniaco vero non est ambigendum quin sint hæretici; qui tamen ante sententiam degradationis & ordinant, & consecrant. Et licet simoniaci proprie dicantur qui instar Simonis Magi (8) impretiabilem gratiam pretio conducere volunt; & qui pro ministerio sacro pretium recipiunt in modum Giezi, Gieziæ vocandi sint; omnes tamen & dantes, & accipientes simoniaci dicuntur, & utriusque eadem sententia percelluntur.

De his qui scienter à simoniaco ordinantur.

Differt tamen inter eos qui ordinantur à simoniaco scienter, & eos qui ignoranter. Qui enim scienter à simoniaco se permiserit consecrari, immo execrari, eorum consecratio omnino irrita est. (d) Qui vero ordinantur à simoniaco, quos cum ordinantur, nesciunt esse simoniacos, qui & tunc pro catholicis habentur, eorum ordinatio misericorditer sustinetur.

De his qui dicunt se emere corporalia, non spiritualia.

Si vero aliqui objecerint, se non consecrationes emere, sed res ipsas quæ ex consecratione proveniunt, peccatus desipere probantur. Nam quisquis horum alterum vendit sine quo alterum non habetur, neutrum vendere derelinquit.

Distinctio simoniacorum.

Simoniacæ autem hæresis tripartita est distinctio. Alii enim simoniacæ à simoniaco ordinantur: alii simoniacæ à non simoniaco: alii non simoniacæ à simoniaco. Unde Nicolaus Papa: (e) „Statuimus decretum de simoniaca tripartita hæresi: idest de simoniaco non simoniaco à simoniaco, & de simoniaco à non simoniaco: (9) & de simoniaco non simoniaco à simoniaco. Simoniaci simoniacæ ordinati, vel ordinatores secundum canones (f) à proprio gradu decedant. Simoniaci etiam simoniacæ à non simoniaco ordinati similiter ab officio removeantur. Simoniacos vero non simoniacæ à simoniaco ordinatos, misericorditer per manus impositionem pro temporis necessitate in officio permittimus permanere.“ Quod intelligendum est de his qui ordinantur à simoniaco, ignorantibus eos esse simoniacos: (10) quia hos facit simoniacos (11) non reatus criminis, sed ordinatio simoniaci.

Alexander Papa de his qui violenter à simoniaco, vel ab hæreticis ordinantur.

Similiter cum decernit Alexander Papa, (g) simoniacos omnino damnandos, ac deponendos; subintelligendum est, nisi violenter quis attractus fuerit. De his enim, & à quibuslibet hæreticis violenter ordinatis dicit Innocentius, (h) quod possunt habere aliquem colorem excusationis, si statim discedunt ab eis, & pessimo eorum conciliabulo renuntiant.

In IV. Sent. Tom. V.

(7) *Al. Honorii.* (8) *Nicolai inappretiabilem.* (9) *Nicolai: & de simoniaco à simoniaco.* (10) *Al. deest quia.* (11) *Al. omittitur non.*

Ex Edit. P. Nicol. (d) Sic loquitur Urbanus Papa, & sic decernitur in Concilio Placentino cap. iv. ex quo refertur in Decretis, ut supra, causa 1. q. 1. cap. *Si quis Simoniaco*. Sequens vero appendix est ex Paschali Papa cap. *Si quis abjecerit*, eadem causa 1. q. 111. (e) Scilicet Nicolaus II. ad Episcopos omnes scribens, ut rursus in Decretis refertur ubi supra cap. *Statuimus decretum*. (f) Quod dicitur de canonibus, sumptum est ex cap. *Qui studet*, & *Si quis Episcopus*, & cap. *Si quis*, & cap. *Quicumque* causa 1. & ex aliis passim. (g) Nempe Alexander II. causa 1. q. 1. cap. *Erga Simoniacos*. (h) Uti que primus ubi supra cap. *Constat multos* ex epist. xxii. cap. v.